





12  
ORDINIS THEOLOGORVM

IN ACADEMIA VITEBERGENSI

1777  
72  
PROCANCELLARIVS

ERNESTVS FRIDERICVS

WERNSDORFIVS

SAC. THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR PVBLICVS ORDI  
NARIVS ALVMNORVM ELECTORALIVM EPHORVS FACVL  
TATIS THEOLOGICAE SENIOR

SOLLEMNIA INAVGVRATIONIS

THEOLOGIAE DOCTORIS

IN TEMPLO ACADEMIAE

D. VIII SEPTIMBR. AN. MDCCLXXVII

CELEBRANDA

INDICIT

---

IN EST DOCUMENTVM MELANTHONIS HAVD LENIS CONTRA  
OSIANDRISMVM EX MSS. IPSIVS PROLATVM

---



ORDINIS THEOLOGORVM

IN ACADÉMIA  
PROVINCIALI  
FRIDERICVS  
WERNSDORFIVS

DOCTOR  
THEOLOGICVS

THEOLOGICVS  
DOCTORIS

IN TITULO ACADEMIAE

IN TITULO ACADEMIAE

CLERICALIA

THEOLOGICVS  
DOCTORIS





SEVERITAS MELANTHONIANA  
CONTRA OSIANDRISMVM  
E MONVMENTO LITTERARVM EIVS  
MANVSCRIPTO OSTENSA

**Q**uam contigerit nobis iterum ea felicitas, ut indicere  
queamus panegyrii doctorum Theologiae in tem-  
plo academiae renunciandorum, non alienum ab ea  
sollemnitate putauimus fore, si ex libro Manuscripto

PHILIPPI MELANTHONIS, quem cum aliis pluribus schedis, ad  
historiam reformationis et motuum in Ecclesia ante conditam  
Concordiae Formulam pertinentibus, serinia nostra adseruant, \*)  
ostenderemus iam, illum de *Andr. Oslandri* dogmate iudican-  
tem et pronuntiantem, a *lenitate sua* tantopere celebrata non dubi-  
tasse omnino *recedere*. Nam quum aetatis nostrae homines *toleran-*  
*tiam*, quam ipsi non exercent, aliis nitantur summo studio comen-  
dare, ita ut reprehendant quem aetas illa exigebat Lutheri feruo-  
rem, *lenitatem* PHILIPPI extollant, et quae infelici saeculo protruden-  
tur opiniones, eas omnes, quamuis directas in ipsam arcem reli-  
gionis, uideri uelint meras *λογωμαχίας* esse: discant hi eo exem-  
plo, non semper *lenem* fuisse MELANTHONEM, sed ubi pro in-

A 2

a) Possideri a nobis haec Scripta iam  
significauimus *Progr. Paschali* an. 1768.  
P. P. quo *res nonnullas in reformatam*

*Ecclesia diebus paschalibus diuitas ac  
gestas* exposuimus, praecipue pagg. 6.  
9. 20.



genii acrimonia perspectum haberet, ad euertendum salutis fundamentum rem esse compositam, paene trucem fuisse, grauiissimeque pronuntiaffe.

Est apud me quidam *Tractatus manuscriptus* <sup>b)</sup> uernaculo sermone, LXIII. foliorum chartis diptychis, *de iustificacione hominis peccatoris coram Deo*. Is Tractatus aduersus ANDR. OSIANDRI, *Theologi Regiomontani*, doctrinam, quam apud Pomeranos PETRVS ARTOPOEVVS *Ecclesiastes Sedinensis*, disseminabat, compositus est, idemque in conuentu et colloquio Sedienensi, quod iussu et auctoritate *Barnimi et Philippi*, Pomeraniae Ducum an. MDLV. mense Aprili habebatur, publicatus atque subscriptione firmatus. Qui eum Tractatum composuerunt, scribendi

b) Relictum possideo a b. Patre meo, cui eam donarat *Perillustis Dominus A WEISSEN, Consiliarius Brandenburg. Stendalii*, Vir in conquirendis eiusmodi rebus diligentissimus ac sollicitissimus. In litteris, quas ille ad Patrem scriptas adiecit, narrat, se Magdeburgi hunc thesaurum inuentum sibi comparasse. Qua ratione autem factum sit, ut hoc publicum documentum, subscriptione manuae Melanthonis et Vitebergensium, tum praecipuorum vtriusque Pomeraniae Theologorum notatum distinctumque, ad Magdeburgenses perueniret, id ego iuxta cum ignatissimis scio.

c) In Praefatione, Osiandri errorem his enarrant verbis. *Der Satan erweckt stolze Geister die geben neue himmlische Gedanken für. Bekennen Christus sey Gott und Mensch der einige Mittler und er allein unsere ewige Gerechtigkeit aber dagegen sprechen sie daß Christi Tod und Blut Gehorsam und Verdienst*

*und die Vergebung der Sünden nicht könne seyn die Gerechtigkeit selbst, sondern schreiben: Wißt du für Gott gerecht seyn, so mußt du nicht Christi Amt Verdienst und Gehorsam ansehen, sondern mußt weiter hinauf steigen in das höchste Heiligthum zwischen die Gottheit und Menschheit Christi. Da mußt du wissen daß die menschliche Natur und Christi Leiden und Tod nicht kan die Gerechtigkeit seyn, sonst wäre es eine creatürliche und nicht ewige Gerechtigkeit, sondern bleib allein bey der göttlichen Natur Christi, dis ist die ewige wesentliche Gerechtigkeit die Gott selbst ist, und wenn dir dieselbe wird eingegossen und in dir wohnet, wirket, lebet, so bist du weentlich gerecht. Wenn dis ein Christ recht anseht muß er bekennen: daß es sind Lasterungen des Herrn Christi, welche der Teufel durch seine Märier ausspeiet daß der Trost des Glaubens uns Menschen genommen und die Herzen*



bendi causam paucis praefati, \*) profitentur, se doctrinam de iustificatione tradituros ex mente sacrorum librorum, Augustanae Confessionis eiusque Apologiae, Lutheri, Philippi in Locis communibus et Theologorum Saxoniorum, qui Osiandro se opposuissent. Absolvitur opus sex capitibus: quorum I. agit de peccato et lege, II. de Gratia, III. de Christo mediatore, IV. de iustitia, V. de fide, VI. de inhabitatione ac fructibus iustitiae.

Huic Libro Confessionis, omnes, qui tunc temporis in aliqua celebritate versabantur Theologi Pomerani, sacrorum in primariis eius terrae civitatibus antistites numero XXVII. subscripserunt, \*) quo facto missus Vitebergam est Iacobus Run-

A 3

gius

*in Zweifel geführt werden. — So giftig arbeitet der Teufel an dem Artikel von der Iustification, und ist ihm ein Ernst solche Lehre zu thun. — Die Unterredung und Disput. haben wir auf hochgedachten Pommerischen Herzogl. Befehl treulich zusammengefaßt in diesem Büchlein. In fine addunt: Und daß Osiandri Lehrer und Jünger oft gedacht von uns, haben wir nicht aus Rachgierigkeit oder Lust zu zanken gethan, wollen lieber verschweigen, aber weil die Stettinische Verordnung es erfordert, und sonst viele sind die Osiandri Geist, mehr denn es gut ist, eingenommen, sind wir Amts halber genüthiget etc.*

d) Nomina Theologorum Pomeraniae hoc ordine posita conspiciuntur

Ego Andreas Mauerius amplector sententiam Articuli Iustificationis, quae hoc scripto recitatur, eamque iudico plane congruere cum scriptis prophetis et apostolicis, ac vere esse pe-

tuam consensum catholicae ecclesiae Dei. Damno etiam omnia dogmata Osiandri pugnancia cum hoc scripto, et omnes sophismatum praestigias, quae ad excusandum uel pingendum errorem Osiandri excogitantur.

Ego Paulus a Rhoda, Superintendens Stettinensis, idem facio, subscribo et amplector hanc doctrinam, ut firmam, explicatam et consolidatam ac orthodoxam, damnoque et detestor diversam.

Ego Iacobus Rungius idem toto peccatore et autographo meo testor.

Ego Bernhardus Strosnider, Pastor eccl. D. Nicolai in Stettin, idem testor manu propria.

Ego Antonius Rummeltingus, Minister filii Dei apud Stettinenses, idem sentio.

Ego Ioh. Granow propria manu approbo.

Ego Ioh. Hagemester, Pastor Treptow. ad Regam retroscriptis subscribo.

Ego



gius ☉ Ecclesiastes Sedinensis, oblaturus hunc librum Philippo, et reliquis eius academiae Theologis, ut eum etiam ipsi adprobarent, et ei subscriberent. MELANTHON in libello multa deleuit et correxit, plura, mox latine, mox germanice margini adscriptit, denique duplici subscriptione illum probauit: quae, quoniam ipse litteras lineolasque luculenter pingere solebat, tres paginas implet. Vtraque subscriptio haec est: *Perlegi totum hoc scriptum, et doctrinam, quae defenditur in hoc Scripto totam adprobo, et non dubito ueram esse et congruentem cum consensu catholicae ecclesiae Dei.*

Philippus Melanthon

manu propria

*Nec iudico Osiandri controuersiam tantum λογικῶς esse: sed de re magna dissentit ab Ecclesiis, et obscurat consolationem, in uero agone unicam, uel delet potius, quum iubet intueri iustitiam essentialem, et non deducit nos ad promissionem offerentem misericordiam per obedientiam Mediatoris. Omitto alias eius disputationes, quas obiter intexit, in quibus etiam a uera doctrina discedit. Sed, etiamsi excusetur Osiander uocosa interpretatione ut uerbis tantum diffidere uideatur, tamen eius phrasis*

*Ego Christianus Granow, Past. Ecol. Caminiensis, toto pectore et manu propria testor, doctrinam in hoc scripto comprehensam et expressam esse ueram et catholicam, a qua donec uita mihi sit superstes, non discedam.*

Sequuntur deinceps nomina Pastorum ecclesiarum Stargardiensis, Rugenwaldensis, Griphenbergensis, Iuhnenfis, Garthenfis, Dammensis, Superintendentis Stolpensis, eiusque Collegae Antonii Beckeri, Alexandri Empel et aliorum, quae adscribere haud iuuat.

e) Hic ipse Rungius, qui ob Osiandrisinum per Pomeraniam ab Artopoeo excitatum Vitebergam est missus, dum ibi agit, Norimbergam cum Melanthonis profectus, oppoluit ibi se *Culmanno* et *Vettero* Norimb. ecclesiae sacerdotibus Osiandristicis, et sacram concionem habuit in Rom. III. 19. quae cum Melanthonis Adhortatione ad eos, qui docent in ecclesia Norimbergenfi, repetita *T. IV. Declamat.* in eadem urbe typis expressa est. Nam eo ipso tempore, quo *Rungius* Vitebergae uelabatur

est



phrasis non recipienda est, quia parit ambiguitatem. Et dissimulando phrasis in populo gignit dissidia. Itaque neque Artopoeo neque aliis concedendum est, ut aut Osiandrica doceant, aut publice proponant conciliationes Osiandrici dogmatis. Et si quis admonitus non desinit turbare Ecclesiam, defendendo Osiandrica, aut fingendo conciliationes, remoueat ab officio, quia oportet hanc lucem retinere sine caligine, quod fiducia debeat niti misericordia Dei, promissa propter obedientiam filii, sicut Dauid inquit; non in iustitia nostra, sed in misericordia tua, propter Dominum, exaudi nos. f)

Philippus Melanthon  
manu propria

Subscripserunt deinceps manu quisque sua, Iohannes BVGENHAGEN POMERANVS D. qui librum ualde a se probari testatur, Iohannes FORSTERVS, Georgius MAIOR, Petrus PRAETORIUS, Paullus EBERVS.

Iam haec Philippi sententia de iis, qui Osiandrisimum docerent et defenderent, quam parum habeat lenitatis, omnes uident, quum sit eius uiri sententia, qui et sua aetate lenissimus omnium putaretur, et inprimis hodie solent eo nomine plurimum

erat Melanthon a rei publicae Norimb. proceribus per litteras rogatus, ut Norimbergam ad flammam controuersiae Osiandricae restinguendas aduolaret. Quum Philippus impetrata ab Augusto Fr. Elestore uenia, eo se conferret, Alexandrum Alefium et Ioach. Camerarium Lipsienfes, et praeter eos Rungium itineris comites habuit. Vide CAMERARIUM in Vita Melanthonis §. 103. WIGANDVM de Osiandrisimo p. 281. et CHR. AVG. SALIGIUM Hist. der Augsp. Confession P. 2. p. 1048.

f) Eadem fere uerba de Artopoeo Sedinenfi leguntur in Epist. ad Iac. Rungium, Consultor Melanthi. theolog. P. 2. p. 158. Conueniunt cum his plura, quae CHR. FEZELIUS Part. V. Obiect. et Respons. theolog. ex Scriptis Ph. Melanth. pag. 117 seqq. exhibet: de dogmate Osiandri, quo adfirmat, homines iustificari iustitia essentiali, quae est Deus habitans et agens in renatis. In Adhoratione Norimbergensi, quam citauimus iam supra, „Senatui et ministris „ecclesiae ostendit: arcem religionis pe-  
„ti,



mum ab omnibus celebrari. Negat concedi posse Pet. Artopoeo, quem tamen idonei auctores <sup>s)</sup> doctum et pium fuisse tradunt, ut Osiandrica doceat, aut conciliationes dogmatis Osiandrici proponat: si admonitus secus fecerit, plane censet eum ab officio remouendum esse. Quae sententia omnino uideri posset duriolem et rigidiolem feueritatem spirare, lata in homines, qui haud negabant Christi meritum, modo putabant nos essentiali Dei iustitia iustificari. Accedit quod orthodoxi ecclesiae doctores, ut *Brentius*, et initio *Moerlinus*, idem postea maximus doctrinae Osiandricae aduersarius, existimabant Osiandrum uerbotenus a caeteris dissentire. Qua propter etiam *GODOFR. ARNOLDVS* <sup>h)</sup> uehementer improbat et damnat hoc Melanthonis consilium, a miti eius ingenio tam abhorrens. Alii moderatissimum uirum in hac Osiandrici causa ideo suspicabantur dedisse aliquid irae ac dolori animi, quod ad ipsius placatissimum et modestissimum scriptum *Balticus Gorgias atrocissime et rabiosissime* <sup>i)</sup> responderat, quem ipse dicit <sup>k)</sup> non ut *Periclem tonasse et fulminasse, sed ut Cleona et Hyperbolum arroganter et impudenter conuicia et calumnias coaceruasse.*

Sed

ti, de qua, ne obscuretur beneficium filii Dei, et ne extinguatur consolatio piis necessaria, et uera inuocatio, necesse sit expectare, retineri et semper in conspectu esse, ueram doctrinam simplicissime explicatam, sine corruptelis et sine umbris ac inuolucris ambiguum uerborum. Quanta sit magnitudo huius rei, non considerare homines profanos: sed pias mentes nosse, in hac qu. — ueritatem propter glo-

riam Filii Dei et propter salutem hominum retinendam esse etc.

<sup>g)</sup> DAN. CRAMER Gr. *Pommerischen Kirchen-Chronick* an. 1628. in. fol. l. 3. pag. 123. uocat eam *einen vornehmen, gelehrten und frommen Mann.*

<sup>h)</sup> *Haeresiolog.* P. 2. l. 16. c. 24. fol. 346. et cenlet b. *Pater meus in Disput. de Osiandrismo in Pietismo renato*, Viteb. 1717. P. P. id nulla de alia causa facere *Arnoldum*, nisi quod illius



Sed profecto MELANTHONIS hoc consilium necessitatis fuit, non malitiae. Pronuntiauit sententiam hanc, non commotus ira et odio, sed officium et ueritatem sequutus. Illud cauendum putauit, ne doctrina solatii plena, de beneficio filii Dei corrumperetur aut obscuraretur, quae sine ambiguum uerborum tenebris et inuolucris tradenda et simplicissime explicanda esset. Quid enim? annon causam, quare ita oporteat iudicare unam grauissimam hanc adfert, quod fiducia nostra debeat niti misericordia promissa propter obedientiam filii? Habes et alias graues rationes, in *Adhortatione Norimbergensi* a Philippo expositas et num. f) a nobis transcriptas. Erat controuersia de re graui et capitali, de fundamento salutis nostrae, ad quod subruendum iste modus iustificandi enthusiasticus ualere uidebatur. Huic tanto malo fortiter ac strenue resistendum, pugnandumque ui ac uehementia uerborum et consiliorum. Itaque Melanthon seueritate se armauit, qui, ut notum est, etiam alio die tantum a lenitate discessit sua, ut aduersarios qui minime intelligentes erant, asinos adpellaret. Non dedit lenitati locum, ubi non licebat; dedit, ubi debebat. Postquam Artopœus aduersus quem Melanthon seueriorem, quam ipsius natura ferret, se prae-

buerat

illius et ceterorum Indifferentiarum iudicio perinde sit, quaecumque tandem in ecclesiis nostris doctrina de Iustificatione proponatur, minimeque referat, utrum per infusionem, an per imputationem iustificari dicamur. Praeter ea famosum illum Historicastrum, longe mendacissime professum historiam se scribere procul omni studio partium, etiam in hoc argumento incautus imposuisse, atque in sua de haeresibus et haereticis

Fabula, plane alium exhibuisse *Osiandrum*, quam quidem re ipsa eum fuisse, Historia uera doceat.

i) 1. 2. Epist. edit Peuc. pag. 269. it. p. 249.

h) In Orat. aduersus calumnias *Osiandri*. Et putat Philippus, *Osiandri* flammam inde ortas esse, quod Colleg. Theologicum Viteb. eius monstrosas opiniones, quas aliquoties Norimbergae genuisset, postulante Senatu iudicari.

B



buerat, ab officio motus et sumtibus Principum Vitebergam missus aliae exhibendae Confessionis causa ad sanitatem redierat, Philippus nihil cunctatus est, scriptis litteris Sedinenses pro eo deprecari. <sup>1)</sup> Erat igitur seueritas necessaria in eos, qui rem tanti momenti obscurabant et peruertebant. Haec seueritas etiam dictauit Melanthoni, peracuto et maxime intelligenti Theologo, graues eas contra Osiandrisinum sententias et *adnotationes*, quas Theologorum Pomeran. *Confessionis* margini sua ipse manu passim adscripsit: Quae iam a nobis adferentur, ut seueritatis Melan-

<sup>1)</sup> Litteras istas legimus Tom. I. Epist. edit. Peuc. pag. 239. PETR. ARTOPOEVS ecclesiae Sedinensis ministerium perdit egerat, ac teste DAN. CRAMERO in *der gr. Pom. Kirchenchronik* l. 3. pag. 126 litterarum commercium cum Osiandro habuerat. Vidit Cramerus unam Artopoei epistolam, qua magnis laudibus praedicabat doctrinam Osiandri, eaque Prussiam et Sarmatiam illustratum in dicebat. Ipse Osiander Artopoei de se iudicium ac testimonium ad alios prae se ferebat. Quum Artopoeus conciones habuisset, in quibus Epistolam Pauli Apost. ad Romanos ex Osiandri doctrina explicaret: collega eius Alex. Empelius et suo, et ceterorum collegarum nomine, ab eo postulauerunt, ut doctrinae suae formulam ipsis declararet. Quam ut cognouerunt minus ueram esse, iusserunt eum Osiandri doctrinam pro concione improbare ac damnare. Non paruit Artopoeus. Itaque schisma natum est.

Barnimius Dux Pomer. re intellecta, utrique parti silentium imperauit. Sed frustra. Nam utrinque pergebant in aduersarios concionari. Denique Bartholom. a Schuawen Episc. perfecit, ut

causa haec deserretur etiam ad Philippum Duc. Pom. qui Wolgastis residebat. Vtriusque igitur horum Principum iussu indicta et habita est Synodus Stettini anno 1555 Dominica Iudica, et praelectus in ea Synodo hic libellus, de quo loquor. Praesidium gerebant nomine Ducum, Schuawen episcopus, Falkius et Balthaf. a Walde Doctores. Mangerio et Rungio mandatum erat, ut colloquium cum Artopoeo instituerent.

Sed adeo nihil ad concordiam profectum est, ut mox acrius inter se concionibus depugnarent, et parum abesset, quin populus tractus in partes omnia tumultu impleret. Eo tempore legatus abiit Rungius Vitebergam, et Strofinderus ad Barnimum Ducem. Artopoeus Wollinum accessit, quum Sedinum rediisset, uetus est Ducis iussu domo pedem elserit.

In sequenti anno noua Synodus habita est Sedinensis, in qua conuenere Knipffroh, Mangerius, Rungius, Consiliarii Ducales et Diaconi ecclesiae S. Mariae. Ibi Artopoeus in Pastorum consensu ad magnum altare, articulis XXXIII. subscripsit, absolutionemque Paulo a Rhoda sollempniter pronuntian-

te,



Melanthoniana ratio tanto magis ab omnibus cognoscatur. Sed eorum caussa, qui minus uersati sunt in rebus illius aetatis, oportet nos pauca de Osiandrisimo eiusque fati praemonere.

Igitur ANDR. OSIANDER, longe in omni doctrinae genere exercitissimus, et idem commendatus iudicio Lutheri, qui eius ingenium et spiritum praedicabat, erat initio ecclesiastes Norimbergensis, gratia et dignitate florens, tamen pertinacior in sententia semel placita, et qui suos Collegas fastidiret ac premeret. <sup>m)</sup> Euocatus post ea in academiam Regiomontanam,

B 2

quum

te, accepit, et iussus est pro concione doctrinam Osiandristicam suam reuocare. Sed quum ei deinceps pristina mens rediisset, Ducis iussu et Sumtu Vitebergam in exilium missus est. Vbi quum Theologorum Collegio exhibuisset confessionem suam, Melanthon eam Sedinum ad Paulum a Rhoda misit, petens litteris, ut Dux Artopoeum stipendio adiuuaret, aut aliud ei officium et munus conferret. Vide SALIGIVM *Hist. Aug. Conf. P. II. p. 1048.*

Rediens a Vitebergenfibus Artopoeus, Magdeburgum transit, et ibi conuenit WIGANDVM, qui hoc ipse narrat in libello *de Osiandrisimo* pag. 407. Post, quum Principes Pomeraniae, Pacis Augustanae caussa Ordinum suorum conuentum Sedinum haberent, omne ab Osiandrinis ortum de religione certamen, plane compositum est. Principes enim, qui aegerrime ferebant, ecclesias per Eugenbagium pulere constitutas, lacera-ri ac distrahi, his in comitiis iubent, utor uerbis NIC. LEVTHINGERI *Hist. March. Brandeb. L. VIII. p. 326.* „in magna ueritate caelestis doctrinae pe-“  
“fuerat, et erroribus Osiandrinorum“  
“quibuscum Aug. Confessio pugnet, re-

„pudum mittere, et nequaquam intra“  
„fines suos tolerare. — — Et quando“  
„quidem secta Osiandrina plurimis impe-“  
„ritis imponat, et illi, qui erroris sint con-“  
„uicti, plerumque ad id contumaciter“  
„redeant, quod abiecit et deposuisse“  
„uideri uelint, uirusque suum miris mo-“  
„dis et facis pallient, uel etiam feroci-“  
„ter defendant, quod cum multorum“  
„pernicie sit coniunctum: ideo publico“  
„edicto prohibere se eam sectam, et“  
„mandare, ut magistratus eos in uiam“  
„reuocent, et si monitis locum dare de-“  
„tractauerint, iubeant expelli. Absti-“  
„nendum etiam ab eius farinae libris etc.

<sup>m)</sup> Fuit natione Francus, omnis ge-  
neris linguis et artibus instructus. Ma-  
gna eius opera fuit in repurgandis Nori-  
corum sacris, quibus tanta cum laude  
praecerat, ut in colloquiis et comitiis  
Marpurgi, Augustae, Francofurti, Wor-  
matiae celebratis adhiberetur. Itaque  
Melanthon ipse initio de eo praecclare  
sensit. Sed multum eius nomini ac di-  
gnitati detrahebant ipsius mores minus  
elegantis et minus commodi, linguae  
impotentia et scurrilis dicacitas, *arabicae*  
denique et ambitio, qui alios uel um-  
bras despiceret: quibus utiis animos  
homi-



quum ibi primarium Theologi locum haberet, opportunitatem sibi datam credebat sententiarum suarum, quas antea mira calliditate dissimulauerat, *de iustitia fidei* expromendarum atque docendarum. Quum ei se opponerent eius academiae et urbis Theologi *Ioach. Moerlinus, Pet. Hegemontius, Franc. Stancarus, Frid. Staphylus, Melch. Infinder, Mart. Chemnitius*, eiusque causam apud Principem solus *Ioh. Funccius* ageret: nihil tamen eum nec auctoritas Principis, nec institutae disputationes et colloquia, mouerunt, ut desisteret, caueretque, ne academia bene constituta, mox ipsius culpa dissiparetur. <sup>n)</sup>

Missis deinde ad Academias per Saxoniam, Marchiam, Sueuiam, Daniam quoque Osiandri propositionibus et libris, ita iudicarunt omnes, non recte illum docere, *iustitiam nostram* esse illam Dei *essentialem*, et in Christo esse duas personas, humanam, quae redemerit, diuinam quae iustificet. Grauiusque hortati sunt Osiandrum, ut gloriae diuinae potius quam affectibus locum daret. <sup>o)</sup> Soli Wirtenbergenses, auctore *Ioh. Brentio*, quod

Osiand-

hominum a se alienauit, uide GODOFR. ARNOLDVM K. und K. Hist. P. 2. lib. 16. p. 346. et GOTTLIB WERNSDORFIVM disput. supra cit. pag. 12.

<sup>n)</sup> *Chronic. Marchic. Mptum* meum de isto dissidio haec: „Princeps nihil intentatum reliquit, ut re amice composita, animi inter se coirent, et uerum redumque persisteret. Sed quum a calamis ad arma iniuriasque inferendas, magna bonorum molestia, decurreretur, gladius et bombardis cincti in publicum prodire, et in Senatum atque concilia uenerunt. Ge. Sabinus, quum contentio ista inualeceret, loco suo cum Principis gratia relicto Francosur-

tum rediit etc. Habet de hac contentione haud pauca CHRISTOPH HARTKNOCH *Hist. Eccl. Pruth* l. II. c. 2 et 3. pag. 309. 417. Porro NIC. LEYTHINGERS enarrat breuiter et eleganter, qua ratione Borussia nouo dogmate Osiander turbauerit, et refert imprimis ea, quae Theologorum Synodus Electoris iussu Berolini coacta, ad eum in causa Osiandristica retulerit. *De rebus Brandenburg.* Lib. VII. pag. 250. edit. *Kraußii* an. 1729. Quos autem contouersia haec motus non in Borussia tantum, sed etiam deinde in Germania dederit, copiose duabus partibus, et iudicio suo interposito, narrat CHR. AVG. SALLIG. *Hist. A. C. P. II.* p. 915 seqq.



Osiandrum in uiam reuocari posse arbitrarentur, eum non temere damnandum indicarunt. Hae Theologorum censuræ dum petuntur et colliguntur, inter ea Osiander est morte sublat. Verum lites, quas eius dogma pepererat, non cessabunt: ierunt latius, et Pomeraniam quoque inuasent.

Vt igitur orti motus in Pomerania componerentur, is, quem commemoravi *de Iustificacione* libellus, a Theologis Pomeranis conscriptus, et missus est ad Vitebergenses. Ratio autem huius libelli et adiectarum ei a Melanphone correctionum fati intelligi non potest, nisi planius perspecto nouo dogmate, quo ecclesiam turbauit Osiander.

Quæ res non caret profecto difficultate. Nam Osiander, perinde ut hodie quidam solent, quos rerum nouarum in religione studium agitat, sententias suas speciosis et ad fallendum compositis uerbis tanquam uestitas, in medium profert, ut in iis uix quidquam, quod cum forma sanæ orationis pugnet, depre-

B 3

o) Ipse Albertus Princeps eiusmodi Theologorum iudicia postulabat. Refert NIC. CRAGIUS in *Hist. Christiani III. Dan. regis* p. 355. Albertum doctrinæ Osiandricæ capita, libello comprehensa, misisse ad regem, qui libellum Theologis Hafniensibus examinandum dedisset. Atque hi auctore *Pet. Palladio Selandiar. episcopo*, solidam discussionem scripto complexi sunt, ad quam prouocat PHILIPPVS in *litteris ad regem* quas exhibet Pars VIII. *der Dänischen Bibliothek*. p. 314. his uerbis: *Denn obgleich wahr ist daß Gott in den Bekehrten und Gläubigen wohnet, so muß doch dieses bleiben daß wir für und für Vergebung der Sünden haben, und Gott*

*gefällig sind aus Gnaden d. i. aus Barmherzigkeit durch das Verdienst des Herrn Jesu Christi und kan ein jeder verständiger richten, daß Osiander den Verdienst Christi verdünket. Davon haben Eu. Königl. Maj. der Universität Kopenhagen Bedenken auch angehört.*

De aliis iudiciis et consiliis theologis, quibus magno Ecclesiæ consensu reiectus est Osiandri error, deque scriptis publicis ac priuatis in causa Osiandricæ editis, diligenter egit SALIG I. I. Scriptores adcuratius in classes digessit b. I. G. WALCHIVS I. I. multo autem locupletiozem eorum Catalogum exhibent Auctores *der Dänischen Biblioth.* Part. VII. p. 150. et P. VIII. p. 317.



deprehendi posse uideatur. Omnino ut recte iudicauit Melanthon, <sup>p)</sup> inuehere in Ecclesiam studuit modum quendam iustificandi enthusiasticum, eiusque omnis error his continetur sex propositionibus: I. Reconciliationem ac iustificationem esse duas res diuersas: quam distinctionem adhibebat eo consilio, ut ostenderet, redemptionis fructum, quod ea dudum praeteriisset, nobis ad iustificationem, quae adhuc eueniret, prodesse non posse. II. Christum quidem pro nobis impleuisse legem, et passum ac mortuum esse: Sed illam eius obedientiam praestitam agendo et patiendo, non imputari nobis ad iustitiam. III. Iustificationis uocabulum non oportere accipi significatu forensi, sed physico; neque adeo idem esse iustificare, quod absoluere a reatu, et iustum pronuntiare, sed iustum efficere, aut iustitiam animo infundere. IV. Iustitiam non significare absolutionem a reatu, sed habitum pie iusteque uiuendi. V. Iustificationis formam et essentiam non consistere in remissione peccatorum et imputatione iustitiae Iesu Christi, sed in infusione iustitiae et extirpatione peccati. VI. Iustitiam nostram non esse extrinsecam, i. e. a Christo Mediatore adquisitam, quae nobis per fidem imputetur: sed esse essentialem in Deo iustitiam, immo Deum ipsum, corda fidelium inhabitantem, et eos ad pie sancteque uiuendum impellentem. <sup>q)</sup>

His nouis Osiandri sententiis Theologi Pomerani sic obuiam ierunt, ut hoc in libello nostro doctrinam totam de Iustificatione diligentius explicarent. Melanthon rogatus ut censuram de illo faceret, eumque subscripto nomine suo adprobaret, adeo

<sup>p)</sup> Tomo II. Epistol. edit. Penc. pag. 260.

<sup>q)</sup> Osiandricum errorem in haec capita dispescuit, et ea singula ex uno fere praeci-



adeo se uere se gefit, ut quum haud pauca minus adcurate disputata uel inuenisse dicta, obduceret, non modo quae uehementius et acrius in Osiandrinum dogma coniecta essent, non deleret, sed etiam passim adscriberet duriora et asperiora. Vtriusque generis age iam exempla uideamus.

Ita notauit ad marginem falsè profecto, et ut sic dicam, inclementer, quae nisi iam e uita sublatus fuisset Osiander, eius certe animum, tanquam in ipsius contumeliam dicta, exulcerassent. Agitur in *Confessione* f. 19. b. ad 2. Corinth. V. de imputatione: ibi adiecit: *und ist offenbar aus der Hebr. Sprache daß das Wort nicht heißt eingießen, wie es Osiander versteht, mit seinem coagulo und Kaeße, sondern heißt zugedenken, und dasselbige zudenken und annehmen ist ausgesprochen durchs Evangelium.* Vbi *Confessio* ad Gal. V. negat locum ex mente Osiandri, *wie Osiander will*, de iustitia in hac uita esse intelligendum, Philippus addit, *wie Osiander ihn martert und die Grammaticam zerreißet.* Quo ipso grauissimi criminis infimulatur Osiander, quasi ei se imperio subtraxisset cuius fines latissime patent, ut ei omnes parere debeant. Nulla enim tam potens est natio, quam Grammaticorum, aduersus quam, ut notum est, Sigismundi Imperatoris maiestas et opes in Concilio Constantiensi nihil ualuerunt.

Aliis tamen in locis huius *Confessionis* adscripsit mitiora, et ad excusandum Osiandrum pertinentia. Sic fol. 40. ubi *Confessio* de duplici genere iustitiae a Paulo Apost. commemorato haec habebat: Osiandrini hoc loco aliud effugium reppererunt. Nam dicunt se loqui de uita aeterna, in qua nos iustos futuros

esse,  
praecipuorum Osiandri librorum, quem  
inscripsit: *Behentnis vom einigen Mit-*  
*ter*, ipsius uerbis, quae maxime senten-

tiam eius genuinam declarant, studiose  
probauit b. Pater meus disp. *de Osiandri-*  
*drimo* p. 25.



esse, non ob remissionem peccatorum per fidem in Christi meritum, sed quod ipse Deus omnia in omnibus futurus, et in nobis sit habitaturus. Addidit Philippus: *Osiander war nicht so unbedacht, daß er sollte eine Theologie fürbringen, die nicht auf dis Leben, sondern aufs ewige Leben ginge. Wer nicht öffentlich will ein Phantaste seyn, muß bekennen, das Evangelium, Sacrament etc. dazu sind gegeben, daß wir lernen sollen für Gott gerecht seyn, zu Gnäden kommen und den Trost in Herzen erhalten, dadurch ewiges Leben in uns angefangen wird.*

Multa praeter ea, quae in hac Confessione paullo durius et iniquius dicta erant, deleuit Melanthon, ut illud fol. 41. a. esse Diabolo tales doctores, ut pura doctrina obscuretur et corumpatur. Etiam litura obduxit uoces *Traeume, Phantasey.* Nihilo minus alia plura, quae itidem delere potuisset ac debuisset, non deleuit. Quo illud pertinet fol. 40. a. *Daß aber der*

r) Quare intemperantius atque impertinenter fecit CONR. SCHLUSSELBERGIVS, quod in *Catalogo Haereticorum*, cuius totus sextus liber de *Osiandristis* agit, Osiandrum Haeresiarcham appellat, et ei blasphemiam obiicit nec semel. Multo rectius CHRISTOPH. FEZELIVS *Obi. et Resp. ex Melanth.* Parte V. p. 117 seqq. argumenta Osiandri collecta proposuit, quibus Philippicum illud additum legitur: *Speciem Sapientiae habet grandiloquentia Osiandri.* Raro moderatius Osiandristae. Est apud me *Tract. Mptus M. IOH. SEGERI* Ambergensis, an. MDLV. eius manu Regiomonti scriptus, continens responsiones ad obiectiones contra Osiandristas prolatas, ubi haec SEGERVS: *Esti abhorreo nonnihil a nouitate huius sermonis.*

*Nos esse iustos essentiali Dei iustitia, et uideo cupidos contentionum, multam materiam calumniandi, ex hac forma loquendi sumere: Tamen non adsentior iis, qui putant hanc loquendi formam ut haereticam damnandam. Potest enim et pie intelligi et dextre explicari, uide licet quod postquam credimus Christum esse expiatorem peccatorum nostrorum, et placatorem diuinae irae, Deus ipse, qui est nostra aeterna iustitia, (ita ut iustitia sit ipsa Dei essentia) inhabitet in nobis, non, quod nos fiamus Deus ipse, aut quod Deus uniatur nobis unione personali, sicut calumniatur Lipsiensis disputator, Alex. Alefium intelligit, sed ut fiamus templum Dei. Addita sunt Tractatui contra Matz Flaks Delirium argumenta puerilia, puto Ioh. Funceii*



der Spottenfels sagt: es ist eine creatürliche vergängliche Gerechtigkeit, und fragt, wie Christus in Mutterleibe gerecht gewesen, da er sein Blut noch nicht vergossen hatte. Vergebs dir Gott, so es dir und deinen Jüngern leid ist. Er war in Mutterleibe wahrer Gott und wahrer Mensch, der ein Amt hat, von welchen gesagt wird daß es ewiglich kräftig ist. Reliquit etiam plurima inepte ac minus uere dicta, ut hoc, quod omnibus fere paginis Pontificii et Osiandristae coniunguntur: Papiſten und Osiandriſchen ſagen. Constat enim Osiandrum aduersus Pontificios ita contendisse, ut multa ob eam rem fecerit ac tulerit, et Albertum Principem ipsum a sacris Pontificiorum abstraxerit.

Neque uero defunt adnotationes Philippi quibus uaria uel planius explicauit, uel utiliter monuit. Earum nonnullae paullo sunt longiores, \*) aliae paucioribus uerbis constant. Ut fol. 35. a. quum Confessio hoc traderet; *Inſtitia, ſi de hominibus ſermo*

in Prussia, ut aliena manu adscriptum est, quod Christi sanguis sit unica et aeterna institutio. Virulenta profecto.

s) Talis est quae fol. 46. b. legitur: Praesentia Dei uniuersalis cum creaturis, non est conseruatio substantiarum, nec nominanda est inhabitatio. Sed inhabitatio intelligitur proprie de ecclesia in hac uita et post hanc uitam, ut Paullus loquitur ad Ephesios III. 17. *κατοικήσῃ τὸν Χριστὸν διὰ τῆς πίστεως, ἐν τῷ καρδίᾳ ὑμῶν.* Et fatendum est, Deum habitare in cordibus, non tantum sic, ut ibi sit efficax, et non sit sua ipsius essentia, sed ut et adsit, et sit efficax. Nec tamen sit unio personalis in nobis: sed Deus inseparabiliter adest nobis, ut in domicilio separabili. Velim et ordinem

exponi, quo Personae sunt in nobis. Duae personae missae sunt, Filius *λόγος*, et Sp. S. Filius proferens uerbum, ostendit Patrem in mente, ut scias hanc esse uoluntatem aeterni Patris, iuxta dictum: *Nemo nouit Patrem, nisi Filius, et cui Filius uoluit reuelare.* Cum hac notitia intus adest *λόγος* et nomine Patris dat Spiritum Sanctum, quo immediate efficit laetitiam, qua cor laetatur in Deo. Sic *λόγος* ad Adam loquitur immediate, et foris sonat uerbum uocati, intus accendit notitiam, et monstrat Patrem, et per *λόγος* datur Spiritus S. in cor Adae, quo laetificatur et reuiuiscere se sentit, et scit se ex morte liberatum esse, et confirmatur, ut sequentes uitae miseras perferre possit. Hoc exemplum est illustrans.



fermo est, u. c. si dicitur Aristides est iustus, significat qualitatem mutabilem, illud qualitatem mutabilem deleuit, et pro eo posuit, obedientiam conformem legi Dei: et haec obedientia est uelle, quod requiritur notitia legis, quod est mutabile. \*)

Super locum DANIELIS VIII. de reducenda iustitia aeterna explicatum in Confessione fol. 36. a. notauit ad marginem haec: *Vellem breuissimis sic responderi: Daniel loquitur de consummato beneficio.* Illud maxime adparet Melanthonem operam dedisse in iis, quae adscripsit, ut ostenderet obedientiam et meritum Christi esse fide adprehendendum. Nam fol. 42. ait, *Unser Will muß Gott, der ziehet, nicht widerstreben sondern folgen, und weil alsdenn der Sohn Gottes durchs äußerliche Wort kräftig ist, ergreift der Glaube den Sohn Gottes, samt den äußerlichen Wort, daß also den heiligen Geist mitgiebt.* Item fol. 43. a. *Die Osandrischen führen die Gewissen auf Vertrauen eigner Reinigkeit, so doch das Vertrauen auf den Gehorsam Christi gegründet seyn soll.* Et fol. 44. b. *Sie sagen, die inwohnende*  
Gotttheit

\*) Eadem pagina adfirmatur, nos fieri iustos in hac vita per imputationem: ubi Melanthon de iustitia Dei quaedam adiecit. Scribit enim: *Daß man aber sagt, misericordia Dei heist misericordia in Deo, quae est essentia Dei; also soll auch iustitia Dei verstanden werden, iustitia in Deo, qua Deus est iustus. Darauf ist gewisse Antwort. Diese Rede iustitia Dei wird in vielen Sprüchen also verstanden, welche Sprüche aber reden vom Richteramte, de iustitia qua Deus iustus est, ut tibi est iustitia, i. e. tu es iustus puniens nos. In Paullo aber und oft in den Propheten, wird geredet de iustitia, qua nos iustificamur, ut salus Dei, qua nos saluat.*

\*\*) ISLEBIUS in Osandri libello de

Mediatore Christo, an. 1552. ut habet *Aliptum meum*, haec propria manu inseruit. Vera explicatio Habac. II. *iustus ex fide sua uicturus est*, dirimit contentionem inter Osandrum et Philippicos. *Osander giebt ihm diuinitatem sine dono, die andern geben ihm zu wenig, sine uita et noua luce, machen eine lautere Persuasion daraus, daß man meynet, und sich beredet er glaube, und wenn einen ein saurer Wind anwehet, so will man aus der Haut fahren, keinen Pfenning entbehren, nichts leiden, tragen, dulden, verschweigen etc. quum tamen oporteat fidem habere suam uitam, nouam lucem, iuxta Dictum Paulli ad Galat. 5. qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis*  
et



Gottheit sey allein unsere Gerechtigkeit, darum wir Gott gefällig sind, von wegen des Gehorsams Christi. Denique fol. 48. Unser Vertrauen soll gegründet seyn auf den Gehorsam Christi.

Satis puto ex his intelligi, quae fuerint Melanthoni opes, quibus Osiandrisimo se opposuerit. Fuerunt tamen, qui quasi medii hac in controuersia se gerere uoluerunt, et quid ex utraque parte minus uerum admissum fuerit se uidere crediderunt. <sup>u)</sup>

Ceterum dum maximis animorum motibus haec controuersia agitur, obiecerat quaedam Osiander Melanthoni, quarum obiectionum unam, et quid ad eam Philippus responderit, iam uideamus. Erant omnium ecclesiae nostrae doctorum mentes et oculi mortuo Lutero in Philippum conuersi. Et adpulerat ille nomen suum Iudicio theologorum Vitebergensium de Osiandri confessione, quod Responsum anno MDLII. datum est. Sed nihil curabat Osiander Philippi auctoritatem, quam

## C 2

in

et desideris. Vbi haec crucifixio non est, non est fides et Iustus fide sua non uiuit. Osiander will die straffen, die den Glauben ohne Liebe, Licht, Erneuerung predigen, daran er recht und wohl thut, aber er weis nicht die Weise dazu. Er kan ihm auch selbst nicht helfen, denn er versteht sich selbst nicht, und ob er wohl die wesentliche Gerechtigkeit Gottes, dadurch wir werden gerecht gemacht, recht treibet, so fehlet er doch in applicatione, und vergißt, daß sie donata sey, gratia et donum. Darum ist es unrecht gelehrt, die Gerechtigkeit ist allein Vergebung der Sünden: sondern Gerechtigkeit hat 2. Stück, eines heist gratia, das ist Vergebung der Sünden. Dds andre heist donum das

ist imputatio und Spiritus Sanctus. Nun lehren ihrer viele zu dieser Zeit ein Stück allein, und vergessen das andere, so doch die Schrift beyde zusammen nimmt: Creditur Abraham Deo, et imputatum ei est ad Iustitiam. Das imputare macht die vollkommne Gerechtigkeit. Denn, wie Petrus sagt, istis auch wahr. Est stipulatio bonae conscientiae cum Deo per resurrectionem Christi, qui ascendens in caelum sedet ad dextram Dei et obediunt ei Angeli etc. item ad Rom. IV: qui traditus propter delicta nostra. Hier ist remissio peccatorum, sed nondum iustitia, aber es folgt et resurrexit propter iustificationem nostram, et Apostoli exeuntes, praedicauerunt uerbum de resurrectione Christi.



in tota ecclesia maximam habebat. Exigebat Philippus ab iis qui doctores creabantur, ut in tria Symbola et in Augustanam Confessionem iurarent, \*) et ut promitterent, si grauior controuerſia incidisset, habituros se consilium esse cum Senioribus, qui doceant ecclesias. Eos Seniores aiebat Osiander esse Vitebergenses theologos. Et hanc Philippi sapientiam poterant non nisi moleste ferre homines eius generis, qui certamina contentionum et rixarum amabant. Nullam, aiebat ille, sacrorum librorum adferri posse auctoritatem, quae necessitatem illius iurisiurandi probaret. Qui Augustanam Confessionem conscripſissent, eos homines fuisse †). Iniquum esse, nihil cuiquam sine consilio Vitebergensium loqui licere.

Sane mirandum non est, fuisse iam tum, quibus non placeret, fidem Symbolis in ecclesia nostra per iusiurandum obstringi: quandoquidem nostra aetate multos uidemus, qui, libellis aliis super alios in lucem protrusis, hanc rationem in ecclesiis nostris bono consilio receptam, impugnare studeant, eam ob causam ut liceat ipsis promere thesauros liberalioris doctrinae suae, atque aliter interpretari sacrorum librorum sensum, quam factum est ab iis, qui tanta illos et scientia et reuerentia

x) Formulae Iuris iurandi uerba haec sunt; me constanter desensurum esse symbola, Apost. Nic. Athanas. et perseueraturum esse in consensu doctrinae comprehensae in A. C. et latius explicatae in eiusdem Conf. Apologia etc. et quum incident controuerſiae difficiles et obscurae, non solus nec temere, sed re deliberata cum aliquibus Senioribus, qui doceant ecclesias, retinentes doctrinam A. C. secundum ueritatem et regulam uerbi diuini atque christianae fidei pronuntiabo.

y) In Tract. *Wiederlegung der ungegründeten undienſtlichen Antwort Philippi Melanthonis samt D. Ioh. Pomerni unbedachten und D. Ioh. Försters falschen Lästergezeugnis wieder mein Bekenntnis zu Wittenberg ausgegangen. Andr. Osiander. Königsb. 1552 in 4.*

z) In spurcissimo libello, quem digno sua persona titulo inscripſit *Smekbier*, Augustanam Confessionem adpellat *figmentum humanum*.

a) Scribit in Refutatione Philippi iam citata



rentia tractarunt. Quasi non quaelibet societas ius habeat obstringendi ac deuinciendi socios: aut quisquam inuitus cogatur, et non exerceat in ea re liberam potestatem. Dicebat Osiander, qui iurassent in Confessionem, hos Dei uerbum abiurasse. \*) Vehementerque in libro, quem opposuit Melanthoni \*\*) doctores uituperat, quod iurent, se non discessuros esse ab Augusta Confessione, quum omnis homo sit mendax. Praeter ea neminem inde ab annis triginta bonum a Vitebergensibus testimonium impetrasse, qui iusiurandum iis non praestitisset. Quod ipse nolit eo uinculo se obligatum teneri, omnium se reprehensionibus atque incurvationibus expositum esse. †) Sed docuit Melanthon non constitui tyrannidem et seditiosas coniurationes quando singulos ἰδιοβελέειν haud concedatur, et graues eam in rem adtulit rationes. ‡) Sunt autem earum rationum aliae, cur eiusmodi iusiurandum improbari non oportere censeamus, adlatae illae magno numero a probis et doctis uiris, qui in hac ultima aetate nostra, hunc morem, toties oppugnatum, peculiaribus scriptis defenderunt.

Nec desunt hodie uiri cordati et singulari animi praestantia Theologi, qui exemplo suo consuetudinis huius auctoritatem

## C 3

confr-

citata, Osiander. *Was wirkt dieser Eid, als daß er die ihm schwören von der h. Schrift abreißt und an die Symbola und Philippi Lehre bindet.* Paulo post. *Der zu Wittenberg gemachte Doctor ist ein armer gefangner Mann mit Eidspflicht in seinem Gewissen verstrickt. Hat sich den Knebel lassen ins Maul binden, daß er in wichtigen Sachen nichts reden und schreiben will. er habe sich vorher mit den Aeltesten berathschlaget etc. Dis sey ein Wittenbergischer Bundschuh.*

b) In eam sententiam plura alia ex libello Osiandri excerpta exhibet et totam scenam denudat C. A. SCALIG. *Hijß Aug Conf. P. II. pag. 984.*

c) In *Orat. aduersus calumnias Osiandri*, reprehendentis promissionem eorum, quibus tribuitur testimonium doctrinae. Tom. III. *Declamat. Phil. Melanthon* ubi de Osiandro haec infit: *Velut ex antro Trophoni prodiens, noua oracula adfert, et exorditur hanc suam κατηγορίαν a criminatione.*





co nfirmat. Laetamur profecto, quod in praesenti producere possumus Theologum, qui absolutis iam Speciminibus solitis orationis, lectionum, concionis et disputationis sine praeside, quae fuit specialis Principis Electoris gratia defensionis, nunc gestiat hoc iusiurandum, aliquoties iam in amplissimis muneribus facris, quibus admotus fuit et adhuc est, praestitum, Vitebergae quoque publice adiurare. Nam Aulam Doctorem eo in Templi academiae loco ubi Lutheri fuit, et iis formulis ac Melanthon praescripsit, ab Ordine Theologorum habendam, laeti indicimus. Quibus in Hilarium sollempnibus, auspiciis et auctoritate

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS  
SAXONIAE

FRIDERICI AVGVSTI

*Domini mei longe Clementissimi, Nutritoris Academiae  
benignissimi, Patris Patriae indulgentissimi*

RECTORE HVIVS VNIVERSITATIS LITTERARIAE  
MAGNIFICO

VIRO ILLVSTRI IVRISCONSVLTISSIMO EXCELLENTIS  
SIMO AMPLISSIMO

D O M I N O

GEORGIO STEPHANO  
WIESANDIO

*Philosophiae et Iuris utriusque Doctore, Institutionum Professore Publico  
Ordinario, Curiae provincialis, Scabinatus atque Collegii Iur-  
consultorum Assessore*

*Patrono pie reuerenterque suspiciendo*

Facul-





Facultatem dabo ad hunc actum legitime constitutus

PROCANCELLARIVS ET PRODECANVS

VIRO SVMMÆ VENERABILI EXCELLENTISSIMO

AMPLISSIMO

DOMINO

CHRISTIANO FRIDERICO  
SCHMIDIO

*Sacrae Theologiae Doctōri, huiusque Professori Publico Ordinario*

*et h. t. Decano, Alumnorum Electoralium Ephoro*

*Collegae et Amico Iunctissimo, Patrono Colendissimo*

ereandi Doctorem Virum *Magnificum, Summe Venerabilem Amplissimumque* doctrinae copia pariter ac munerum meritorumque sanctitate et praestantia commendatissimum

DOMINVM

IOANNEM GODOFREDVM STRAVSS

SACRAE THEOLOGIAE LICENTIATVM, SERENISSIMI PRIN-

CIPIS ELECTORIS SAXONIAE CONSISTORII SVPREMI

DRESDENSIS ADSESSOREM ET CONCIONATOREM


AVLICVM

Cui





Cui sollempni Panegyri, quum dictus sit dies Septembris mensis  
 octauus RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, VTRIVSQUE  
 REIPVBLICAE CIVILIS ET LITTERARIAE PROCERES, RERVM  
 DIVINARVM HVMANARVMQUE CONSVLTISSIMOS, VERBI  
 DIVINI MINISTROS, OMNESQUE SACRARVM LITTERARVM  
 FAVTORES ATQVE PATRONOS, nec non GENEROSISSIMOS,  
 CLARISSIMOS, NOBILISSIMOSQUE ACADEMIAE CIVES obser-  
 uanter et humanissime rogamus, dicto die uelint praesentia sua  
 pariter et frequentia honoribus tam illustris *Doctorendi* uelifi-  
 care, eoque ipso simul fauorem in res nostras suum declarare.  
 P. P. in Academia Vitebergenfi Dominica XIII. post S. Tri-  
 dos sacrum An. MDCCLXXVII.





ULB Halle  
002 265 427

3




(f) Sb.









12  
1777  
72

ORDINIS THEOLOGORVM  
IN ACADEMIA VITEBERGENSI  
PROCANCELLARIVS  
ERNESTVS FRIDERICVS  
WERNSDORFIVS  
SAC. THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR PVBLICVS ORDI  
NARIVS ALVMNORVM ELECTORALIVM EPHORVS FACVL  
TATIS THEOLOGICAE SENIOR  
SOLLEMNIA INAUGVRATIONIS  
THEOLOGIAE DOCTORIS  
IN TEMPLO ACADEMIAE  
D. VIII SEPTEMBR. AN. MDCCLXXVII  
CELEBRANDA  
INDICIT  
IN EST DOCUMENTVM MELANTHONIS HAVD LENIS CONTRA  
OSIANDRISMVM EX MSS. IPSIVS PROLATVM

